[illegible] Giovanni III. di Polonia 169[illegible] in Roma :

DESCRIPTIO EXEQVIALIS POMPAE IN TEMPLO D. STANISLAI INCLYTÆ NATIONIS POLONÆ EXHIBITÆ IN FVNERE IOANNIS TERTII POLONIÆ REGIS MAGNI LITHVANIÆ DVCIS:

Sub Auſpicijs Eminentiſs. & Reuerendiſs. Principis D.D.

CAROLI CARD. BARBERINI

POLONIÆ PROTECTORIS;

Et Oratio in Eodem Templo habita,

A STANISLAO HOSIO
CANONICO VLADISLAVIENSI.

ROMAE, TYPIS BARBERINIS.

Excudebat Dominicus Antonius Hercules; Anno M DC XCVII.

SVPERIORVM LICENTIA.

DESCRIPTIO
POMPÆ EXEQVIALIS.

QVantam, IOANNE Tertio Poloniæ Rege è viuis erepto, doloris, luctuſque acerbitatem Roma perceperit, non aliundè magis licet conijcere; quàm ex tot, tàmque effuſis publicæ gratulationis, lætitiæque teſtimonijs, quibus immortales inuictiſſimi Regis laudes, ſuperioribus annis, in eâdem Ciuitate, mirâ omnium Ordinum alacritate, plauſuque perſonuerunt. Quicumque ad tot Victoriarum fauſtiſſimos nuncios, illam animorum commotionem; illos turbæ etiam compitalitiæ feſtiuos fremitus; & innumeris vbique laudum præconijs vſurpatum Regium nomen, in memoriam reuocauerit; is demùm deprehendere poterit, atque colligere; quàm altè grauiſſimus recens inflicti vulneris cruciatus, in omnium corda deſcenderit. Quamuis luctu proſtrata Ciuitas, dum Regis decora commemorandi, extollendique nullum ſibi finem conſtituit; occulto quodam iucundiſſimæ voluptatis ſenſu, nunc etiam capitur: vt oſtentare palàm poſſit, IOANNEM Regem in ipſo mœſtitiæ publicæ gremio, ſpecioſiùs triumphantem.

Cœterùm vbi primùm, ſupremum diem obijſſe IOANNEM Regem in Polonia reſcitum eſt; Eminentiſsimus Princeps MICHAEL Cardinalis RADZIEOVSKI, Archiepiſcopus Gneſnenſis, & Primas Supremuſque Senatus Polonici Præſes, IOANNEM CASIMIRVM BOKVM Canonicum Gneſnenſem, & Cracouienſem, illuſtri genere, & eximiâ virtute virum, Romam legauit: vt eo Internuncio, ſuis, Senatuſque verbis, INNOCENTIVS XII. Pontifex Maximus, de Regis morte cognoſceret. Ablegatus, ſtatim atque Romam appulit, ab Eminentiſſimo Principe CAROLO Cardinali BARBERINO, Poloniæ Protectore, ad Pontificios pedes, nobili ſplendidoque comitatu deductus eſt. Apud quem depromptis literis, quibus publicæ Fidei authoritas inerat, ea addidit, quibus Pontifici, IOANNIS Regis interitus, & Polonæ Reipublicæ in Romanam Sedem reuerentia, innoteſceret. Pontifex ſingulari humanitate exceptum, habitumque, certiſſimum eſſe iuſſit, nihil ſibi acerbiùs contingere potuiſſe; quàm, vt in eo præſertim rerum articulo, tàm præclarum Orbis Chriſtiani decus, & fulcimentum deſideraretur. De inſitâ Polonorum animis in Romanam Sedem obſeruantiâ, non eſſe cur vllo vnquam tempore poſſet ambigere. Ea vti Reipublicæ, ſuis verbis diſertè nunciaret, cun-

ctationi locum ne faceret: ſimul Paterno animo vellet commonitam; vt, dum de non abſimili ſubſtituendo Rege deliberaret, tranquillitatis publicæ incolumitati ſeruandæ, tuendæque proſpiceret. Se, hoc interim ſpatio, nihil moræ eſſe interpoſiturum; quin primo quoque tempore, Regi de Pontificia Dignitate, & Apoſtolica Sede præclariſſimè merito, ſolemnia Iuſta perſolueret. Quibus Ablegato benè precatus, eundem nouo, ſpectabilique dignitatis titulo auctum, dimiſit; vt inter *Præſules vtriuſque Signaturæ, vt vocant, Referendarios* recenſeretur: quò & muneris, quo ad Apoſtolicam Sedem eſſet defunctus, perpetuam commendationem haberet; & Sacris Exequialibus, in Pontificio Sacello proximè concelebrandis, honeſtiori loco intereſſe poſſet. Et ea quidem Sacra, cùm Pontificis Maximi, & Apoſtolici Senatus conſeſſus auguſtiſſimus; tùm lectiſſima nobilium hominum frequentia nobilitauit. Eminentiſſimus Princeps, CAROLVS Cardinalis BARBERINVS Poloniæ Protector, Rem Diuinam ſolemni ritu fecit. De Regis laudibus, P. Carolus de Aquino Societatis Ieſu, Orationem habuit.

Sub hæc, Eminentiſſimus idem Princeps, Cardinalis Barberinus agitabat animo, quam potiſſimùm rationem iniret, vt in Templo Diui STANISLAI Nationis Polonæ, ſuo priuatim nomine, ſignificatio aliqua ſuæ in Regem demortuum, & Polonorum Rempublicam, ſtudioſiſſimæ voluntatis, publicè extaret. Multa & præclara meditanti, anguſtiæ loci obnitebantur. Quibus demùm inuitis, Funebris Pompa in eodem Templo ſplendidiſſimè exhibita, ità ad ſe omnium animos, admirationemque conuertit, vt in ipſa arctioris iniquitate loci, eiuſdem Pietas, atque Magnificentia latiſſimè eluceſceret. Acceſſerunt reliquo ornatui, Inſcriptiones, omnes præfixæ Tabulis, quotquot Regia facinora coloribus adumbrabant, quas ingenij ſui, curæque partus eſſe voluit. In Templi facie, pullo amictu contecta, extollebantur Regia Inſignia, ſubobſcuris coloribus illuminata, velorum lacinijs, ex vtroque latere aptè defluentibus. Eiuſdem coloris veſte, ſed candidis bombycinis interiectis, conueſtiti erant Templi parietes: quos laruatæ Mortes, Regij Stemmatis Teſſeræ, & bellica Symbola argento, auroque illita, certis interuallis per extantes pilas diſtincta, diſcriminabant. Pulla item Zona, ex Templi Corona tractim, continenterque decidens, mirum in modum elegantiam Operis commendabat; candidis è carbaſo flexibus identidem adaptatis; prægrandibuſque cereis, longo ordine collucentibus, & mira concinnitate diſpoſitis. Fornix, quaſi ipſe etiam condocefactus ad luctum, atratum Cœlum, ſtellaſque lugubres, tænijs ad earum figuram

ram ſcitiſſimè turbinatis, mentiebatur. Ipſum verò Cenotaphium, quadrato pegmate ad Doricam, Ioniamque normam, appoſitiſſimè excitatum, prægmagnis funalibus, candelabris è ſolido argento ſuffultis; & Regijs Inſignibus, Symboliſque, opere picturato elegantiſſimè variatum, Regiam planè Maieſtatem ſpirabat. Vrna Honoraria, Attalico peripetaſmate inſtrata effulgebat; in cuius faſtigio, puluilli gemini è villoſo holoſerico violaceo, ſuſtinebant Regium diadema; aureo ſceptro, gladioque in tranſuerſum iacentibus, ſuperimpoſitum. Molem vniuerſam Siparium obibat violaceum, lacinijs in nodum coactis, ad imaginem bellici tentorij conformatum. Sed præcipuo ornamento erant, Tabulæ prægrandes omninò ſex, luteis coloribus ſubobſcurè delineatæ, formæ operiſque præſtantiâ ſingulari: quibus præfixas Inſcriptiones apponimus, earum argumenta exprimentes.

Inſcriptio præfixa primæ Tabulæ, Regis effigiem ardoris bellici, Maieſtatiſque pleniſſimam referenti.

IVSTISSIME PARENTATVR

IN HOC INCLYTAE POLONORVM NATIONIS TEMPLO

IOANNI III. POLONIAE REGI

MAGNO DVCI LITHVANIAE

QVI

ANIMI PIETATE PECTORIS ROBORE

BELLICA FORTITVDINE

INSIGNIS

FIDEM ORTHODOXAM ECCLESIAM CATHOLICAM

REM CHRISTIANAM VNIVERSAM

ACERRIMVS AC INVICTISSIMVS DEFENSOR

STRENVE SEMPER

SVSTINVIT ASSERVIT CONFIRMAVIT.

Inſcriptio

Inſcriptio, præfixa ſecundæ Tabulæ.

SPONSAM LECTISSIMAM
NON NISI BENEDICENTE PONTIFICIO NVNCIO
ANTONIO PIGNATELLIO
ÁRCHIEPISCOPO LARISSAENO
MATRIMONIO SIBI SOCIAVIT:
QVANTA ESSET IAM TVM
AVCTIORQVE IN DIES FVTVRA
VENERABVNDI FILII IN PARENTEM MAXIMVM
AC AMANTISSIMI PATRIS
IN OBSEQVENTISSIMVM FILIVM
AMORIS VICISSITVDO
PRAECLARVM TVM SPECIMEN TVM DOCVMENTVM.

Inſcriptio, præfixa tertiæ Tabulæ.

POLONAM REMPVBLICAM PROPVGNAVIT
SCEPTRVM SIBI DEMERVIT
TVRCA CVM COSACCO APVD CHOCIMVM
IN IPSIS CASTRIS
AD TYRAM AMNEM DEBELLATO.

Inſcriptio, præfixa quartæ Tabulæ.

RADZIVILIO DYNASTA AFFINE SVO
CELEBRI LEGATIONE
AD CHRISTI VICARIVM

SEDEM-

SEDEMQVE APOSTOLICAM MISSO

SVAE INTEMERATAE FIDEI

AC FILIALIS OBEDIENTIAE

LVCVLENTISSIMVM TESTIMONIVM.

Inſcriptio, præfixa quintæ Tabulæ.

CHRISTIANA REPVBLICA IN TVTO POSITA

VIENNA GERMANICI IMPERII SEDE

OBSIDIONE LIBERATA

VISIRIO FVGATO

EIVSQVE EXERCITV AD BARKANVM

DELETO.

Inſcriptio, præfixa ſextæ Tabulæ.

CAPVCCINORVM FAMILIA EX ITALIA

SANCTIMONIALIBVS VENERABILIS SACRAMENTI

E GALLIA IN REGNVM ACCITIS

EISQVE TEMPLO COENOBIOQVE

MVNIFICENTISSIME EXTRVCTIS

EXIMIAE SVAE IN DEVM PIETATIS

AC RELIGIONIS

PERENNE MONVMENTVM.

Sacris, ſolemni Eccleſiæ ritu, operatus eſt Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Dominus Conſtantinus Brzoſtouski Epiſcopus Vilnenſis, & primus Senator Magni Ducatus Lithuaniæ. Quibus interfuerunt, Eminentiſſimi, ac Reuerendiſſimi DD. S.R.E. Cardinales;

Maildachinus.
Barberinus.
De Carpineo.
Nerlius.
Mareſcottus.
Denhoff.
Colloredus.
De Fourbin.
Iudice.
Coſtagutus.
Noris.
Pamphylius.
Otthobonus.
Bichius.
Laurentius Alterius.

D. Stanislaus Hoſius Canonicus Vladislauienſis, Regis laudes Oratione complexus eſt, cuius exemplum ſubijcitur. Eâdem verò Oratione abſolutâ, duo Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi Patriarchæ, nempè Odoardus Cybo Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Michael Angelus Matthęius Patriarcha Antiochenus, ac ſubindè duo Archiepiſcopi, videlicet Franciſcus Antonius Delcius, Archiepiſcopus Piſarum, & Franciſcus Martellius Archiepiſcopus Corinthienſis, Eccleſiaſtico ritu, Abſolutiones, ad prædictum Cenotaphium perſoluerunt.

SERENISSIMAE MAIESTATI

MARIÆ CASIMIRÆ

POLONIÆ REGINÆ:

ET EIVSDEM FILIIS, PRINCIPIBVS SERENISSIMIS

IACOBO, ALEXANDRO,

E T

CONSTANTINO.

Stanislaus Hoſius Canonicus Vladiſlauienſis, Felicitatem.

IN hoc, non à Polonia ſolùm; ſed à Republica Chriſtiana vniuerſa, publicè, altiſſimèque accepto vulnere, illud, *Regina, & Filij Principes Sereniſſimi*, perincommodè accidit priuatim mihi; quod à Patria procul degenti, facultas omnis eſſet adempta, coram Vobis, & dolorem meum, quo nihil certè remiſſiùs per abſentiam tangerer; & obſequentiſſimum animum, atque immortalibus beneficijs obſtrictiſſimum profitendi. Verùm quibus officijs priuato nomine peragendis, in Patria defui; eadem vt auctiùs Romæ, publicèque perſoluerem, eximia quædam benignitas exhibuit mihi, Eminentiſſimi Principis Caroli Cardinalis Barberini, in omnium quidem virtutum exempla geniti; ſed in Poloniæ noſtræ homines, præcipua quadam inductione animi, ſpectatiſſimæ comitatis, & beneficentiæ ſingularis. Nam cum, in Diui STANISLAI Templo, IOANNI Tertio Iuſta Solemnia, pro ſuæ indolis excelſitate, magnificè, ſplendideque celebrare ſtatuiſſet;

Me,quem iampridem humaniſſimè in ſuam fidem, Patrociniumque receperat, in honeſtiſſimæ prouinciæ partem adlegit; vt Regias laudes, in prænobili ſplendidiſſimi Theatri luce proſequerer. Quo me teſtimonio ità cohoneſtatum eſſe intelligo; vt eius beneficij magnitudinem, non modò referendà; ſed ne cogitandà quidem gratià conſequi poſſe videam. Quod verò me, per mearum virium tenuitatem vllo vnquam tempore præſtiturum diffido; ex Veſtri Nominis Inſcriptione, ac veluti mutuato ſplendore ſarcire, animum meum inſtitui. Quod & illi rectè, & ordine à me cogitatum; & Vobis, pro veſtra in ampliſſimum Principem Regni Protectorem, voluntate, atque iudicio, exiſtimo fore gratiſſimum.



ORATIO.

SI dolori publico, Eminentiſſimi Principes, tantum lacbrymarum liceret impendere, in Funere IOANNIS Tertij Poloniæ Regis, quanta illius in Europam vniuerſam, & Orthodoxam Religionem fuere promerita; non ad exigui oſtentationem temporis ſqualor iſte exequialis, non tàm mutos parietes, quàm ægros animos tegeret; ſed in futuras ætates, vt Regis Optimi beneficia, ità iacturæ acerbiſſimæ ſignificatio, luctuſque tranſmitteretur. Iniquiſſimum enim eſſet, in eius Principis amiſſione lacbrymas exareſcere; cuius virtute, atque felicitate Polonia, Germania, Europa, Religio ab æquiſſimo metu, ad priſtinum nitorem, dignitatemque reſtituta refloruit. Succenſerem fermè Naturæ, quæ non æterni doloris vberrimam venam indulſerit, vbi immortalia eſſe voluit officia meritorum. Ego verò per tanti Principis laudes, atque virtutes, breui Orationis ambitu iuſſus excurrere, non abſurdè doloris ingenium videar imitatus; ſi funere luctuoſo confectum animum, ipſo neglectu, ac propè ſqualore incomptæ Orationis oſtendero.

Excelſi animi magnitudo, & Regia planè IOANNIS indoles, ſe inter ipſa pueritiæ crepundia exeruit. Vix enim cunas egreſſus, tàm ſingularem morum maturitatem præſetulit; ità ad omnem veræ laudis prouocationem exarſit; vt ex firmiori ætate, & longiori rerum experientiâ, nihil illi potuiſſe videretur accedere. Crederes, aut pueritiam IOANNI, aut IOANNEM pueritiæ defuiſſe. Sub auſpicijs Ducis POTOCKI ad omnem poſteritatem clariſſimi, poſitis Militiæ rudimentis, tàm inuſitato genere laudis inclaruit, vt, cum inteſtinæ Regni diſcordiæ egregij Imperatoris neceſſitatem feciſſent, nihil moræ fuerit; quin à Rege CASIMIRO, ſupremus armorum Arbiter renunciaretur. Tàm præclaro exiſtimationis Regiæ teſtimonio inſignitus, & auctus, quàm latè Polonici Exercitus terrorem diffuderit; quantam ipſe continuò fuerit celebritatem nominis conſequutus, te Polonia, teſtem appello; quam ſeditioſorum hominum tumultibus agitatam, laceratam odijs, perfidiâ collabentem, ità communiuit, ſuſtentauit, erexit; vt collatum in IOANNEM armorum Imperium, Regni hoſtes contremiſcerent ſemper; ſibi nunquam ſatis Polonia gratularetur. Seditionum ciuilium motibus, mirâ celeritate compreſſis, atque ſedatis; expeditiorem viam aperuit Polonicis armis, vt externi hoſtis conatus,

natus, audaciamque retunderent. Nullo certè iniquiore tempore Sarmatiæ res in diſcrimen adductas expauimus, quàm cum, obſeſſo Chocinio, innumeræ Turcarum acies ad Tyram amnem conſiderent; ſi ſemel validiſſimum illud Regni munimentum, virium omnium concertatione labefactatum, impulſumque corrueret; actum de vniuerſa Polonia reputantes: Et actum quidem fuerat, niſi IOANNES Equitatu florentiſsimo inſtructus, non tempori, non ſibi, non Patriæ defuiſſet. Animo, ac penè oculis obuerſatur mihi, ipſo terrore gratiſſimus ille Polonorum impetus; cum hoſtium munimentis, quibus ſe ſe conſepſerant, caſtriſque perruptis, per dirutos aggeres, per vias cadauerum aceruis obſtructas, per conculcatas barbarorum ceruices, ad aſſerendam oppugnatam arcem; ad ſoluendam à funeſtiſſimo metu Poloniam conuolaret. Cum fortiſſimus Ductor; ſed quid ego Ductorem appello, quem libertatis ſuæ glorioſiſſimum vindicem, Regem etiam ſuum Polonia, vltrò collatis inſignibus, ſalutauit? cum inquam, Rex potentiſſimus, amorem ſuorum, timorem hoſtium, omnium admirationem, victoriæ ſuæ dulciſſimum pretium reportauit. Poloniæ rebus in hunc modum compoſitis, tantâque domi partâ gloriâ; non ille ad palmarum ſuarum, atque laurorum vmbram, ignauum latus depoſuit; nec otio Polonicus Annibal, deſidiâue conſenuit. Sed poſtquam Patriam armis latè victricibus in tuto locauerat, Germaniæ nutantes res, Europam in Viennæ oppugnatione, ancipiti timore ſuſpenſam, Religionem ad extremum penè diſcrimen adductam, clariſſimâ poſt hominum memoriam relatâ Victoriâ ſubleuauit. Neque enim ſe, Regnique ſui vires omnes in ancipitem caſum conijcere dubitauit, poſtquam ſe Hungarico, & Veneto Fœderi illigauerat. Certè de Romanæ Sedis amplitudine, & dignitate detractum fuiſſet fortaſsè plurimum; & Germanici Imperij vix vmbram forſitan aliquam haberemus; niſi inextricabilem illum nodum, & pluſquam Gordianos nexus, IOANNES Rex gladio ſuo explicaſſet. Caſtris latiſſimè poſitis, atque communitis, Viennam, firmiſſimum Germaniæ propugnaculum, hoſtiles copiæ vallauerant; Iamque decuſſi murorum apices, & crebris tormentorum ictibus verberata Mœnia, aggreſſorum aſſultibus idoneum ruinâ ſpatium aperuerant. Nobiliſſimæ totius Europæ Ciuitates; Roma præſertim, de cuius maximè Imperio, in illis Auſtriæ campis certabatur, ſiniſtri euentus expectatione ſuſpenſa, nuncium expugnationis ſibi fatalis, in ſingulas fermè horas præſtolabatur. Adſuit tandem citatiſſimo impetu raptus è Germania Curſor; ſed qui: O triumphum Religionis, omnium longè pulcherrimum! O laudem IOANNIS Regis nullâ vnquam temporum futurorum obliuione delendam! Sed

qui,

qui, inquam, non mœſtiſſimo luctu principem Gentium Vrbem; ſed liquidiſſimâ voluptate compleret. Lętiſſimus nempè rumor continuò totâ Vrbe percrebuit; Viennam in libertatem aſſertam, fugatos hoſtes; impedimenta omnia, commeatus, ſarcinaſque militares in potentiſſimi Regis poteſtatem veniſſe: animis eò iactantiùs in omnem hilaritatem effuſis; quò propiùs deſperationem, res fuerat: Alij celeritatem Victoriæ prædicabant; cum ſolus penè Regis aſpectus copias hoſtium latè diffuſas, veluti Sol denſiſſimas nubes, diſiecisſet. Alij ſociati cum Germano Milite exercitus conſilium extollebant; cum Turcæ nihil magis, quàm Lotharingiæ Ducis, & Poloniæ Regis, tanquam fatalium ſibi ſiderum conſpirationem paueſcerent. Sed Regia in primis Pietas per omnium ora ſummis laudum decorata præconijs incedebat. Ad Cœlum paſſim efferebant generoſiſſimam animi demiſſionem illam, cum, Regio diademate ad Virginis Deiparæ pedes relicto, non tàm Regem ſe, quàm Militem ex gregarijs vnum, contrà Romanæ Fidei hoſtes futurum in poſterum profiteretur. Quid autem ad exemplum generoſæ pietatis illuſtriùs; quàm cum ad imminentem immortalis pugnæ conflictum, non alia velitatione præluderet; quàm Sacra facienti Miniſtro prouolutus in genua; eidemque dexterâ illâ ſceptro, virgæque Imperatoriæ aſſuetâ ſubſeruiens? Sed nihil æquè omnium animos excitauit, & extulit; quàm cum ad Principis Apoſtolorum Baſilicæ valuas, defixum ſuſpicerent Militare vexillum, quod ex ipſo Muſtaphi Viſirij tabernaculo, Regiâ manu conuulſum, atque direptum, perpetuum eſſe voluit monumentum, ſui ergà Sedem Apoſtolicam teſtatiſſimi ſemper obſequij. Verùm dum Romæ Religioſiſſimi Regis prærogatiuæ efferuntur; ille collatis iterum cum hoſte ad Barcanum ſignis, generoſâ irâ ſuccenſus, bellico puluere ſpecioſiſſimè inhorreſcit. Turcarum exercitus ille, ad Viennam propulſatus ſolùm, atque diſiectus, in agro Barchanenſi Polonorum vltioni, gladijſque planè ſuccubuit: fuga illa hoſtium; hæc clades fuit: ibi diſturbati Ordines, collectis iterum ſignis, inſtaurare bellum potuerunt: hìc acciſis Otomannæ potentiæ neruis, & procumbente veteranæ Militiæ flore, ità de hoſtibus triumphatum eſt; vt vaſtiſſimum illud, totque euolutis ſeculis formidatum Imperium, veluti Cadauer ſenio, morboque confectum, non ſolùm comminari, atque inſoleſcere non auderet; ſed vix commouere ſe vltrà, ac propè reſpirare potuerit. Nec porrò ea Victoria luculentiſſimo pietatis teſtimonio caruit: nam ex editiore vallo detractum vexillum alterum, Matri Diuinæ addictiſſimus Rex, ad eiuſdem Fanum, Lauretum tranſmittendum curauit. Quæ Ciuitas nunquam appellatione ſua dignior fuit; quàm cum tam ſingularis Victoriæ monumento, nituit laureata. His laudis

perpe-

perpetuæ titulis in Germania partis, condecoratum Regem ſuum quot inter Peanas, quantâque mox feſtiuiſſimæ gratulationis pompâ Polonia exceperit reducem, nec ſatis complecti animus; nec verbis exęquare poteſt Oratio. Ea certè fuit prægeſtientis vbique lętitiæ, & exilientium Ordinum admurmuratio, vt gaudia ſua Polonia ipſa non caperet. Adderem hìc Tartarorum cateruas iterùm, iterùmque diſiectas; Moldauiam ſępius deuaſtatam; direptos agros; expugnatas arces, Iaſſium ipſum, Prouinciæ caput, flammis traditum; ſi qualiacumque demum Victoriarum decora, inter Viennenſis expeditionis ſplendorem illum noſci; nedum oſtentari poſſent. Ea ſcilicet eſt Oceani vaſtitas; vt incrementa fluuiorum minimè ſentiat; & quædam immenſæ opulentiæ laus eſt, ignorare opes ſuas. Sed mirum profectò, ac prodigio ſimile videatur, bellicis curis diſtentiſſimum Regem, ità ab omnibus doctrinæ præſidijs inſtructum fuiſſe; vt niſi militari fortitudine præclariſſimam famam eſſet adeptus; ſolis literarum, ſapientiæque dotibus, meritiſſimam videri poſſet immortalitatem nominis conſequutus. Quàm illuſtris in IOANNIS ore verborum apparatus, & dignitas! quam ſolidâ ex adytis Sapientum Doctrinâ, elimatum ingenium! quanta dicendi copia ex intimo penu totius antiquitatis exprompta ad ſplendorem affluebat! Dubitares, vtrum magis Bellonæ; an Muſarum, Gratiarumque ſinu exceptus, atque innutritus eſſe videretur. Verùm O incerta Vota! O ſpes Mortalium fluxas, atque fallaces! qui per omnia, fueras mortalem conditionem egreſſus, iniquiſſimo Reipublicæ tempore, deſijſti glorioſiſſime Rex, eſſe Mortalis. Ipſa te Heroem ſuum aduerſus Romanæ Fidei hoſtes, propugnata Religio amplexu fouet; exornat laudibus; coronam nunquam interituræ lucis impertit. Tu verò è ſublimi, vt par eſt credere, Beatiſſimæ Regionis faſtigio illo, Poloniam tuam; Europam, quam beneficijs; Apoſtolicam Sedem, quam obſequentiſſimo ſtudio feciſti tuam, tuearis, atque confirmes: et, quo demum nihil Poloniæ tuæ eſſe poteſt optatiùs, à ſupremo Numine impensè contende, vt illi Rex tui ſimilis; & Virtutum tuarum cultor, æmulatorque contingat.

SPECIAL
91-B16950
XXX
THE GETTY CENTER
LIBRARY

n.º 14 - A

1424 - 5 Ottobre

Dote di Lucia Vitaliana moglie
di D.no Leon de Lazara q.
Nobil Francesco de Duc.ti 300